

occasio et nil obsistit nobis, quin manifestum contra memoratum regem Francie vobis exhibere possimus subsidium, rotundo⁷² modo ore confitemur et manifeste vobis promittimus, quod non tantum contra ipsum, verum etiam contra quemlibet mortalium parati sumus vobis assistere, et, quandocunque vobis placuerit, pro honore vestro omnes vires imperii nostri effundere.

Mittimus igitur ad vos dilectum et antique familiaritatis capellanum nostrum specialem C(onradum) Spiruensem prepositum latorem presentium, per ipsum vobis magnificum imperialis eminentie subsidium exhibentes. Unde cum varia et ardua imperii nostri negotia in partibus Italie nos compellant hiemare, mandamus vobis, quatinus vos in continenti cum ipso nuntio nostro viros discretos et providos nuntios vestros, tales videlicet, quibus vos^e omnia secreta cordis vestri^f aperire confidatis, et quibus etiam nos de dictis plenam fidem adhibere possimus, ad nos remittatis, et per eosdem nuntios omnem voluntatem vestram, videlicet quomodo et quando et qualiter contra regem Francie vobis auxilium exhibere debeamus, plenius nobis intimetis; et nos totam animi nostri intensionem ad hoc dirigemus, ut iuxta voluntatem vestram et nostrum honorem adeo vobis magnificum continuo impendamus auxilium, ut fama tam magnifici subsidii in omnes orbis partes resonet et tam honor inde quam profectus maximus vobis et regno vestro crescat et accedat.

e) nos *Hs.* f) nostri *Hs.*

⁷²⁾ Vgl. Venantius Fortunatus, *Vita S. Martini* 2, 380 und 4, 704; MGH Auct. ant. 4/1 (1881) S. 326, 370.